



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Decretvm VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

## DECRETVM VI.

**C**Um etiam in vifitatione Noſtra, per totam Diceceſin perſonaſter à Nobis facta, compererimus, Synodorum Noſtrarum, ab anno MDCXXVIII, uſque ad annum MDCXXXIII celebratarum, librum, in paucis locis repertum, aut periſſe, aut ſufficiencia exemplaria amplius ſubmiſtranda deeſſe; hinc novis & magnis ſumptibus illum recudi, poſterioreſque Synodos diverſas, præfertim de annis MDCL, MDCLI, MDCLII, & MDCLIII, adjungi fecimus. Et cum liber ille, brevi, prælo ſit perficiendus; hinc ſimiliter omnibus & ſingulis mandavimus, ut unum exemplar quantocius, ſumptibus Eccleſiæ, ſibi comparent, aliud etiam domi pro ſe proprium habeant. &, qui in eo negligentis fuerint, debite punientur.

## DECRETVM VII.

**D**enique, cum etiam tempus Paſchale appropinquet, omnes & ſingulos, curam animarum quoquo modo habentes, in Domino adhortamur, ut officio ſuo, non ſolum quoad ſe, ſed etiam quoad ſibi commiſſos, diligenter ſatiſfaciant, atque decretis & ordinationibus Noſtris, antehac publicatis, obtemperent, & inhæreant.

## DECRETVM VIII.

**A** Dominica Lætare uſque ad Pentecoſten incluſivè, in omnibus Eccleſiis, poſt Conciones, ſinguli Paſtores, & curam anima-

rum quoquo modo habentes, ex ſuggeſtu orear quinqueſ *Pater & Ave* clara voce, & totus populus ſimiliter proſequatur, pro felici ſucceſſu Comitiorum S. R. Imperii, quæ modo Ratiſbonæ habentur. Quem in finem etiam Superiores Ordinum Religioſorum, particulares devotiones in ſuis Monaſteriis inter ſe ſibiſque ſubditos inſtituant, & ad ædificationem populi pro bono communi proſequantur.

## DECRETVM IX.

**V**olumus etiam, ut in quaque Synodo nomina eorum, qui de Clero ab ultima Synodi celebratione in Domino obierunt, prælegantur, & ſinguli Sacerdotes intra octiduum à Synodo, pro refrigerio animarum eorum defunctorum, Sacrificium Miſſæ Deo offerant.

## DECRETVM X.

**V**ltimo, omnibus & ſingulis, in virtute ſanctæ obedientiæ, mandamus, ut præcedentia Decreta Synodalia, quæ hîc repetimus, & repetita declaramus, per omnia obſervent, & reſpective ad effectum deducant. Quod ſi in hoc ſive Prælatuſ ſive ſubdituſ negligentis fuerit, in proxima Synodo debitis correptionibus ſubjacebit.

Atque hæc ſunt, quæ pro hac vice publicanda ac proponenda cenſuimus. In quorum omnium fidem hæc manu Noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo Noſtro, ad id conſueto, communiri fecimus.

L. S.

FRANCISCVS GVILIELMVS.

*Hiſ peractis, palam prælectæ fuerunt literæ Paſtorales ſequentes, quas Illuſtriſſima Sua Ceſtudo Ratiſbonâ ad Clerum ſuum Oſnabrugenſem tranſmiſerat.*

LITERÆ PASTORALES  
AD CLERVM OSNABRVGENSEM.

**F**RANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apoſtolice Sedis grâtia Epicoſopus Oſnabrugenſis, &c. alligatus in Domino, omnibus vobis de Clero Noſtro in Chriſto Ieſu ad Synodum vocatis, unitatem ſpiritus in vinculo pacis.

2 Cor.  
II. v. 28.

Scitis, Fratres chariſſimi, inſtantiam meam quotidianam, ſollicitudinem Eccleſiarum mearum. Meminiſtis, quid, in præterita Synodo autumnali, vobis ſimiliter in Domino congregatis populoque meo præſens, ſub meum ex Diceceſi diſceſſum, pro officio meo

Epicoſicali, propoſuerim, voſque, ut dignè ambularetis vocatione veſtrâ, qua vocati eſtis, ad ſalutem veſtram, ad ſalutem animarum, Ieſu Chriſti ſanguine redemptarum, curæque veſtræ commiſſarum, monuerim, coramque Crucifixo Domino noſtro Ieſu Chriſto obſtatus fuerim. Volo itaque voſ ſcire ulterius, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & iis, quæ in Diceceſi ſunt de concredito mihi ovili, & quicumque non vident faciem meam nunc in carne, ut conſolentur corda ipſorum, cum me ſibi ſpiritu alligatum audiunt.

Coloſſ. 2.

Eadem